



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Illvstrissimi Viri Petri De Marca Archiepiscopi Parisiensis Dissertationvm De Concordia Sacerdotii Et Imperii, Sev De Libertatibvs Ecclesiæ Gallicanæ, Libri Octo**

**Marca, Pierre de**

**Parisiis, 1669**

I. Secunda Collectio post Concilium Constantinopolitanum. Antea Diœceses canonibus à se editis regebantur; ut patet ex Ancyrana Synodo, Neocæsariensi, Antiochena, & Laodicensi. Hujus tempus inquiritur.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-15591**

*Antiocheni nec in Occidente, nec in Tracica Diocesi. Chrysoſtomus & Innocentius rejiciunt eos canones. Cur ab Arrianis compoſitos dicant, cum Orthodoxi Epifcopi numero vincerent.*

*III. An canones Antiocheni recepti ab Eccleſia, ſint iidem cum iis quos rejiciunt Innocentius & Chryſoſtomus. Tres conjectura virorum eruditiorum refutata. Aperitur nova conciliationis ratio.*

*IV. Collectio ſecunda Canonum, quando & à quo inſtituta. Confirmata à Concilio Chalcedonenſi, & aucta canonibus ejus Concilij. Confirmata etiam à Juſtiniano.*

*V. Queritur an canones Chalcedonenſes recepti fuerint ab Eccleſia Romana. Opinio Bellarmini expenſa. Docerur receptos fuiſſe, è Facundo, Gelafio, & Leone ipſo. Solus xxv. canon repudiatus, ex conſenſu Anatoly. Ratio concordia tunc intra explicata. Error Hincmari. Canones Synodi Conſtantinopolitane non admiſſi, etiam poſt Dionyſij publicationem, ut Conſtantinopolitani retinerentur in officio.*

*VI. Canones Graeci poſt Synodum Chalcedonenſem Latine redditi: Non una, ſed pluribus interpretationibus. Ea collectione uſus eſt Gelafius, qui uſitur canonibus Chalced. quemadmodum & Gregorius. Symmachus laudat canones Gangrenſes, ex ea collectione.*

*VII. Nova interpretatio canonum à Dionyſio Exiguo edita. Que canones Gracos, & præterea Sardonienſes, atque Africanos, complexa eſt. Et Romanorum Pontificum decreta. Ejus uſus probatus à ſede apoſtolica, è Caſſiodoro, & Joanne II.*

*VIII. De collectione Canonum à Theodoro digeſta in quinquaginta titulos. Genuina eſſe oſtenditur, ſolutis difficultatibus que objici ſolent.*

I. **S**ECUNDA Collectio prodiit poſt Concilium Conſtantinopolitanum. Antea non communi quodam jure tenebantur Orientales Eccleſiæ, ſi canones apoſtolicos & Nicænos excipias, ſed ſua ſibi decreta duæ trèſve Diocèſes conjunctis ſuffragiis conſtituerant, quibus in diſceptandis negotiis ſuis uterentur. Etenim in provinciis Diocèſeon Aſianæ, Ponticæ, & Orientalis, varij canones editi fuerant à Conciliis Ancyrano, Neocæſarienſi, Gangrenſi, Antiocheno, & Laodiceno, qui obtinebant apud eos Epifcopos quorum ſuffragiis erant decreti, quemadmodum Conſtantinopolitani auctoritate omnes deinde Orientales Eccleſiæ adſtrictæ ſunt. Etenim in Ancyrana Synodo coacta anno cccxiv. ante ipſam ſynodum Nicænam, ſtatim poſt libertatem Eccleſiæ redditam, in civitate Ancyra, quæ erat metropolis Galatiæ, decem & octo Epifcopi è Diocèſibus Orientis, Aſiana, & Pontica, xxv. canones ediderunt, quorum vis per tres illas Diocèſes extendi poterat, non autem per Diocèſim Ægyptiacam, aut Thracicam, multò minùs per Diocèſes Occidentis. Idem dicendum eſt de ſynodo Neocæſariæ habita, quæ eſt metropolis Ponti Po-

lemoniaci; quò ſe contulerunt iidem illi decem & octo Epifcopi, poſt ſolutam Ancyranam Synodum. Gangris, quæ eſt metropolis Paphlagoniæ, habitum eſt Concilium anno cccxxv. à ſedecim Epifcopis Ponticæ Diocèſeos. Concilium verò Antiochenum habitum anno cccxliiis provinciis conſtitit quæ ad Diocèſim Orientis ſeu Antiocheni Patriarchatus pertinebant, Syria nempe, Phœnicia, Palæſtina, Arabia, Meſopotamia, Cilicia, & Iſauria, ut patet ex epiſtola ſynodica. Superest ſynodus coacta Laodicæ, quæ eſt Phrygiæ metropolis; quò è variis Diocèſeos Aſianæ provinciis Epifcopi convenerunt, ut reſtatur inſcriptio ſynodi. De tempore hujus Concilij quæritur. Illuſtriſſimus Annalium conditor ante Concilij Nicæni tempora coactum ſuſpicatur. Sed canone ſeptimo damnantur Photiniani hæretici, qui aliquot annis poſt Synodum Nicænam emerſerunt. Deinde in antiqua collectione locum ſuum poſt Antiochenam obtinet ſynodus Laodicæ: cujus tempora in annum cccxlv. conjici poſſe puto. Illo etenim anno ſynodus habebatur ab Epifcopis Aſianæ Diocèſeos, ad quos literas ſuas & ſynodicam Illyriciani Concilij Valentinianus Imperator tranſmiſit, cum hac epigraphè apud Theodoretum: *Epifcopis Diocèſis Aſianæ, Phrygiæ, Carophrygiæ Pacatiana.* Porro ſynodus Laodicæna, ut dixi, è diverſis provinciis Aſianæ Diocèſis habita eſt Laodicæ, quæ eſt metropolis Phrygiæ Pacatianæ.

II. Canonibus Concilij Conſtantinopolitani omnes quidem Eccleſiæ Orientales adſtringi poterant; quia ex omnium Epifcoporum conſenſu qui Diocèſes Ægypti, Orientis, Aſiæ, Ponti, & Thraciæ regebant, Conſtantinopoli decreti ſunt anno trecentefimo octuageſimo primo. Sed Occidentis Eccleſiæ iis teneri non poterant, quibus omnino erant incogniti anno cccclii. ut reſtatur Leo primus. Itaque Innocentius I. rectè juxta ſenſum Eccleſiæ Occidentalis ſcripſerat anno cdiv. Eccleſiam nullis canonibus regi præterquam Nicænis, ut monui §. i. capitis ſuperioris. Adeoque mirum non eſt ſi canonem Antiochenum, quo nitebantur Orientales adverſus Ioannem Chryſoſtomum, conſtanter exploſerit. Nondum enim, ut dixi, nec ſynodus Antiochena nec ceteræ receptæ fuerant ab Occidentis Eccleſiis, nec etiam ab Eccleſia Conſtantinopolitana, quæ cum Diocèſi Thraciæ accenſerentur, Ancyranæ ſynodi, Neocæſarienſis, Gangrenſis, Antiochenæ, vel Laodicæna canonibus, ab aliis Diocèſibus editis, non tenebatur,

R iij

*Epist. ſynod. Conc. Antioch. Inſcriptio Syn. Laodic. in diſſert. par. i. cap. 67. tit. 1. 1271.*

*Theol. lib. 4. cap. 8.*